

modolibet obvenire continget Fratribus seu Ordini supradictis (exceptis Ecclesiis, Oratoris, officinis & habitacionibus, ac valis, libris & vestimentis Divinis Officis dedicatis vel dedicandis, quae ad ipsos obvenient in futurum, ad quae se non extendunt adeo inconvenientia supradicta; propter quod constitutionem istam ad illa extendi volumus) nullum jus seu dominium aliquod occasione ordinationis praedictae, seu cujusvis alterius a quocunque Praedecessorum nostrorum super hoc specialiter editae Ro. Eccle. acquiratur; sed quoad hoc habeantur prorsus ordinationes hujusmodi pro non factis. Per hoc autem in his quae absque dictis ordinationibus in bonis praedictis ad dictam Ecclesiam provenire vel pertinere quomodolibet poterant, vel debebant, nullum eidem parari praedictum volumus; sed illa sibi expressis intacta & inviolata servamus. Et quia praefatum Martinum Papae praedecessoris nostri privilegium dudum servatum, quoad administrationem bonorum praemissorum non extitit, nec servatur, ac ipsorum Procuratorum officium, qui nominantur a Ministris & Custodibus dicti Ordinis Ecclesiae Romanae injuriosum, ac modis aliis molestum nocetur, & etiam onerosum, districtius inhibemus, ne deinceps pro recipiendis, petendis, extorquendis, defendendis seu administrandis bonis quae in potestatem Fratrum vel Ordini praedictis offerri vel conferri, seu alias obvenire continget, quicumque nominetur a quocunque, seu constituitur amodo nomine sanctae Rom. Ecclesiae Procurator: nec occasione cujusvis privilegii, quicumque administrationem quorumcumque bonorum, quae obvenire Fratribus ipsis, vel Ordini continget in potestatem in iudicio, vel extra, agendo, vel defendendo, supplicando, vel alias quomodolibet assumere vel exercere dictae Ecclesiae nomine audeat, nisi de Sede Apostolica licentia speciali; decernentes irritum & inane, si secus a quocunque in potestatem contigerit attentari; non obstantibus quibuscumque privilegiis, a Martino Papa praedicto, vel aliis Praedecessoribus nostris ipsis Fratribus vel Ordini, sub quacunque forma, vel expressione verborum concessis. Per hoc autem dicti Ordinis Regulae in aliquo non intendimus derogare, nec privilegiis Fratribus ipsis, seu eorum Ordini ab Apostolica Sede concessis (nisi dumtaxat quoad praemissa & ista tangentia) praedictum aliquod generare. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae sanctionis, inhibitionis, constitutionis, & intentionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, &c. Datum Avinion. vi. Idus Decembris, Pontificatus nostri anno septimo.

IV. [c. an. 1322. Avenioni.]

*Opinio, qua asserit Christum & eius Discipulos nihil habuisse, & in his quae habuerunt nullum jus eis fuisse; erronea est & haeretica.* Haec Extravagans est valde notabilis, & glossas habet profundas, quae sunt ex sacrae Scripturae fontibus hauctae. Si diligenter Extravagantem praecedentem & sequentem inspexeris, locum hunc aptum fuisse assignatum, mea opinione, dixeris.

<sup>d</sup> Vide B. Antoninum, p. 4. tit. 12. c. 4. §. 23. & Tur. Secretum. in Summa de Eccles. lib. 2. c. 152. ad 10. argum.

Um <sup>d</sup> inter nonnullos viros scholasticos saepe contingat in dubium revocari, utrum pertinaciter asserere Redemptorem nostrum, ac Dominum Jesum Christum, ejusque Apostolos in speciali non habuisse aliqua, nec in communi, etiam haereticum sit censendum, diversa & adversa etiam sententibus circa illud. Nos huic concertationi finem imponere cupientes, assertionem hujusmodi pertinacem, cum Scripturae sacrae, quae in plerisque locis ipsos nonnulla habuisse asserit, contradicant expresse, ipsamque Scripturam sacram, per quam utique Fidei orthodoxae probantur articuli, quoad praemissa fermentum aperte supponat continere mendacium; ac per consequens, quantum in ea est, ejus in totum fidem evacuans, fidem Catholicam reddat, ejus probationem adimens, dubiam & incertam; deinceps erroneam fore censendam & haereticam; de Fratrum nostrorum consilio, hoc perpetuo declaramus edicto. Rursus in posterum pertinaciter asserere, quod Redemptori nostro praedicto, ejusque Apostolis, iis quae ipsos habuisse Scriptura sacra testatur, nequaquam jus ipsis utendi competere, nec illa vendendi seu donandi jus habuerint; aut ex ipsis alia acquirendi, quae tamen ipsos de praemissis fecisse Scriptura sacra testatur, seu ipsos potuisse facere supponit expresse; cum talis assertio ipsorum usum & gesta evidenter includat, in praemissis non iusta, quod utique de usu, gestis seu factis Redemptoris nostri Dei Filii sentire nefas est, sacrae Scripturae contrarium, & doctrinae Catholicae inimicum, assertionem ipsam pertinacem, de Fratrum nostrorum consilio, deinceps erroneam fore censendam merito ac haereticam declaramus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum declarationum infringere, vel ausu ei temerario contraire. Si quis autem, &c. Datum Avinion. 11. Idus Novembris, anno septimo.

V. [c. an. 1325. Avenioni.]

*Reprobatur opinio illorum detractorum, qui praesument impugnatione Constitutionis Joannis XXII. Ad Conditionem Canonum; & cum inter nonnullos, supra immediate praecedentem. Et praemissis responsionibus ad*

*omnes eorum objectiones, tandem declarantur tanquam haeretici, & Romanae Ecclesiae rebelles, ab omnibus evitandi, si deinceps scienter verbo vel scripto defendere vel approbare contra illa praesumpserint.* Hic habetur sub parte secunda & tertia, de Clavium materia, prolixae & utilis disputatio.

Quia quorundam mentes sic pater mendacii dicitur excasse, quod nostris Constitutionibus, quarum una incipit, Ad Conditionem Canonum; alia vero, Cum inter nonnullos; utique tam cum Fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, quam cum multis Archiepiscopis & Episcopis, aliisque Ecclesiarum Praelatis, necnon & compluribus sacrae Theologiae Magistris, ac utriusque Juris Professoribus, deliberatione praehabita diligenti, digestis; ac de praemissorum Fratrum nostrorum consilio promulgatis; non absque multa temeritate plecibili, nisi sunt detrahere, & nituntur veritatem quam continent, per falsas infanias obfuscare. Nos tam perniciosos ausibus, ne eorum doctrina pestifera simplicium animos labefacere, ac in sui erroris devium deducere valeat; de eorumdem Fratrum consilio decernimus super hoc salubriter, ut sequitur, providere. Ad impugnandas autem Constitutiones praedictas supra scripta ratione, tam verbo, quam per clavem scientiae in fide fertur; illud inquit, quod per clavem scientiae in fide, ac moribus semel definitur Romani Pontificis, adeo immutabile perseverat, quod illud successori revocare non licet in dubium, nec contrarium asserere, licet de iis quae per clavem potestatis ordinaverint, asserant fecus esse: in confirmatione autem Regulae Fratrum Minorum, Alexander IV. Honorii III. Gregorii IX. Innocentii IV. Alexandri IV. Nicolai IV. praedecessorum nostrorum Summorum Pontificum, haec verba asserunt contineri: Haec est Regula Evangelica Christi & Apostolorum imitatrix, quae nihil in hoc mundo habet proprium vel commune; sed in rebus, quibus utuntur, habent simplicem usum facti: his addere praesumentes praefatos Summos Pontifices, & multa Concilia Generalia per clavem scientiae definitis paupertatem Christi, & Apostolorum constituisse perfectae in expropriatione cujuslibet temporalis domini civilis & mundani, & sustentationem eorum in solo & nudo usu facti etiam constituisse: ex quibus nituntur concludere, non licuisse licere ipsorum Successoribus contra praemissa aliquid immutare. Ideoque cum Constitutio nostra in ratione praedicta, contra definitiones praedictorum Praedecessorum nostrorum (sicut asserunt) definitis, Christum & Apostolos, in iis quae habuerunt, habuisse non tantum simplicem usum facti, sed jus faciendi de ipsis; eoque ipsos fecisse Scriptura sacra testatur; pertinacem assertionem dicentium ipsos jus hujusmodi minime habuisse, cum actus illorum fuisse concludant non iustus, quod de Christo nefas est dicere; haereticam declarando; concludere fatagunt, licet falso, nobis non licuisse declarare, vel statuere supradicta. Item quia Constitutio, Ad Conditionem Canonum, contra definitiones praedictas, Fratres Minores asserit non posse habere in re aliqua simplicem usum facti, nituntur similiter concludere contra ipsam. Quod autem, quod in ratione praedicta praemittitur, videlicet, quod illa quae per clavem scientiae in fide ac moribus a Summis Pontificibus semel fuit definita, eorum Successoribus revocare non licet in dubium, nec contrarium asserere; licet fecus sit, sicut dicunt, in iis quae per clavem potestatis per Summos Pontifices ordinantur, prorsus sit contrarium veritati, patet ex sequentiis evidenter. Primo quidem secundum illos, qui tenent clavem spiritalem nequaquam esse scientiam, fed ligandi atque solvendi potestatem: patet assertores praedictos, ponendo esse scientiam, erravisse: pro quibus facit clavis definitio, quae a Doctoribus datur: Clavis est specialis potestas ligandi atque solvendi; quia Judex Ecclesiasticus dignos recipere, & indignos excludere debet a regno. Item quia claves de quibus agimus, in collatione Sacrodotalis Ordinis conferuntur: constat autem quod ordinato in Sacrodotem scientia communiter non confertur: quare secundum illos videtur quod scientia non est clavis, sed potentia tantum ligandi atque solvendi debet dici clavis. Adhuc secundum illos, qui ponunt, unam clavem spiritalem esse scientiam; & secundum illos, qui auctoritatem discernendi inter lepram & lepram, esse asserunt clavem, & aliam potestatem ligandi atque solvendi; noscuntur evidenter errasse. Supponunt enim per claves hujusmodi dici ea quae Fidei sunt, & alia posse per Constitutionem aliquam definiti: claves autem, quae in Sacrodotali conferuntur Ordine, ad talia minime se extendunt: alias sequeretur quod circa praemissa possent Constitutiones Sacrodotales simplices facere; quod falsum est evidenter. Si autem intendat claves istas extendere ad generalem potestatem attributam beato Petro, suffraganeis Successoribus in personam ejusdem in commissione officii Pastoralis, per quam utique videtur evidenter ipsis omnia concessisse, sine quibus Pastoris universalis conveniatur cura necque, seu officium expediti. Adhuc claret ipsos etiam errasse: dicunt enim alium effectum habere illa, quae per clavem scientiae, & alium illa quae per clavem potestatis statuuntur; supponentes alia per clavem scientiae, & alia per clavem potestatis statui, seu etiam definiti, quod evidenter est falsum: per clavem enim scientiae, five per auctoritatem discernendi seu cognoscendi inter lepram & lepram (si ipsam dixerimus esse clavem) nil aliud per ipsam illi, cui datur, tribuitur; nisi

auctoritas cognoscendi. Et autem, qui datur auctoritas de re aliqua cognoscendi, de illa definiendi non intelligitur esse data. Quare restat, quod ad convenienter statendum, seu aliquid definiendum, utraque clavis, scilicet cognoscendi & definiendi necessario requiratur: vel quod soli clavi potentiae statuere competat, & etiam definire: sed sicut lumen materiale vivigerum in usum, clavis materialis dirigit, & quasi quantum ad hoc obtineat scientiam vicem lucis. Et hoc Salvator noster in promissione clavium facta Beato Petro sensisse videtur expresse, cum post illam immediate subjunxerit: Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in caelis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in caelis: nulla de scientia habita mentione. Quod autem subsequenter proponitur in ratione praedicta: videlicet, quod in confirmatione & declaratione Regulae Fratrum Minorum, nonnullorum praedecessorum nostrorum, videlicet Honorii III. Greg. IX. Innoc. IV. Alex. IV. Nicolai IV. verba hujusmodi continentur. Haec est Regula Evangelica, &c. supra posita, usque ibi, in nudo usu facti, etiam constituisse patet; prorsus obviat veritati. Honorius quidem praefatam Regulam absque declaratione aliqua confirmavit, in cujus confirmatione de verbis praedictis mentio aliqua non habetur, ut liquere potest culibet confirmationem hujusmodi intuenti, nisi quatenus de vita Evangelica habetur mentio in ipsa Regula confirmata: ibi, cum dicit: Haec est Regula Fratrum Minorum, videlicet, vivendi nostri Jesu Christi Sanctum Evangelium observare, domini in obedientia, sine proprio, & in castitate. Ex quibus verbis concludi non potest, quod per ipsum praedecessorem nostrum ea, quae ipsi in verbis praedictis asserunt, fuerint definita: imo potest concludi potius, quod vita Evangelica, quam Christus & Apostoli tenuerunt, habere in communi aliqua non excludat, quum sine proprio vivere non exigit, quod sic viventes nihil habeant in communi. In declarationibus quoque Greg. Innoc. & Alexand. praedictorum, qui eandem Regulam absque confirmatione alia declarant, similiter nulla potest fit mentio de praedictis: imo per eas evidenter ostenditur eorum, quae habere licet ipsis fratribus, usum juris ad ipsum Ordinem pertinere. Gregorius quidem in sua declaratione, quantum ad hoc interseruit, quae sequuntur: Dicimus, quod nec in speciali, nec in communi debent habere proprietatem: sed utensilium, liberum, & rerum mobilium, quas licet habere, Ordo usum habeat: & fratres, secundum quod generalis Minister, & Provinciales ordinandum duxerint, his utantur. Innocentius autem & Alexander praefati in suis declarationibus sic dixerunt: Dicimus insuper, quod cum in ipsa Regula continetur expresse, quod fratres nihil sibi proprium, neque domum, neque locum, neque aliquam rem, quod nec in communi, neque in speciali debent proprietatem habere: sed locorum, & domorum, & utensilium, & liberum, & eorum, quae licet habere, Ordo usum habeat, & fratres secundum quod Generalis & Provincialis Ministri ordinandum duxerint, his utantur. Cum enim dicatur in declarationibus praedictis, quod Ordo usum rerum habeat praemissarum, ad usum juris necesse est hoc referri: facta quidem, quae singularum sunt, personam veram exigunt & requirunt: Ordo autem vera persona non est, sed representata & imaginaria potius est censenda: quare, quae sunt facti sibi vere convenire nequeunt, licet ei possint congruere quae sunt juris. Adhuc licet declaratio Nicolai IV. praedicti continet, quae sequuntur: Hi sunt illi sanctae Regulae professores, qui Evangelico fundantur eloquio, vitae Christi roborantur exemplo, fundatorumque militantis Ecclesiae Apostolorum ejus sermonibus, & actibus firmanur. Et post in eadem declaratione subjunxit dicens, quod adhaerent proprietatis omnium rerum, tam in speciali, quam in communi propter Deum meritoria est & sancta, quam & Christus viam perfectionis ostendens, verbo docuit, & exemplo firmavit: quamque primi Fundatores militantis Ecclesiae, prout ab ipso fonte hausserant, in volentes perfecte vivere, per doctrinam ac vitam ipsorum alveos direxerunt. Ex verbis tamen praedictis nequaquam potest colligi, quod praefati praedecessoris nostri Nicolai intentio fuerit, dicere, quod dicta Regula, quoad omnia, quae continentur in ea, Evangelico fundetur eloquio, ac vitae Christi roboretur exemplo; nec quod Apostolorum vita, & actibus sit firmata. Constat enim multa contineri in dicta Regula, quae nec Christus verbo docuit, nec exemplo firmavit: utpote, quod preceptum conditor Regulae fratribus universis, ut nullo modo denarium vel pecuniam recipiant per se, vel interpositam personam, necnon & de multis aliis contentis in dicta Regula: quae utique nec Christus, nec Apostoli verbo docuerunt, nec firmaverunt exemplo. Nec obstat, quod Christus portare pecuniam Apostolis, & Discipulis, dum ipsos ad predicandum mitteret, interdixit: quod tamen antequam eos mitteret, ipsis fuisse non legitur interdictione. Quodque post rediit pecuniam portaverunt, in plerisque locis Evangelicae veritas, & Apostolica dicta testantur. Praeterea Augustinus dicit expresse, quod illud non fuit praecipuum, fed potestas recipiendi necessaria ab iis, quibus praedicabant Evangelium, quam servare Apostolis licuit, vel etiam non servare. Sed hoc Romanus Pontifex praedecessor noster Nicolaus quoad principalia tria vota, scilicet in obedientia vivere, & sine proprio, & in castitate, ac alia, si qua Evangelio reperiantur expressa, in dicta Regula videtur

intellexisse dicere in declaratione praedicta: quod utique declarationibus nostris in nullo obviat supradictis: adhuc non apparet ipsum dixisse sustentationem Christi, & Apostolorum ejus in solo & nudo simplici consistere usu facti: cum, quoad Christum & Apostolos, nullam praefatos praedecessor noster Nicolaus in sua declaratione fecerit mentionem: imo sensisse factis videtur expresse, quod jus aliud a proprietate habuisse poterunt: cum de sola abdicacione proprietatis non juris alterius in praefata declaratione quantum ad ipsos attinet, mentio habetur. Adhuc idem Nicolaus praedecessor noster videtur sensisse, quod Christus & Apostoli etiam quoad proprietatem habuerunt aliquid in communi, cum enim in sua declaratione praedicta verba de abdicacione proprietatis dixisset, respondens objectioni tacite, quae sibi de loculis, quos Christus habuisse in Evangelio legitur, poterat fieri, statim quae sequuntur, subjunxit: nec his quicquam potest obfistere, quod interdum dicitur Christum loculos habuisse: nam sic ipse Christus, cujus perfecta sunt opera in suis actibus, viam perfectionis exercuit, quod interdum infirmorum imperfectionis condescendentes in viam perfectionis extolleret, & imperfectionum infirmas semitas non damnaret; sic & infirmorum personam Christum asserit in loculis suscepisse. Alias impertinens de loculis fuisse objectio, nisi intellexisset Christum etiam quoad proprietatem loculos habuisse. Praeterea si diceretur Christum in loculis habuisse tantummodo simplicem usum facti, frustrata haberet loculos: cum secundum eum perfectis etiam conveniat habere simplicem usum facti. Et si quaratur, propter quos infirmos, istos loculos habuerit: Augustinus, cujus dictum insertum est in decretis, respondet dicens: habebat dominus loculos, a fidelibus oblata conservans, & suorum necessitatibus, & aliis indigentibus tribuebat: unde constat ipsum de suis Discipulis hoc sensisse. Nec hoc scilicet in communi & quoad proprietatem aliqua habere derogat, juxta dictum Gregorii IX. praedicti, altissima paupertas, qui in quadam sua decretali dicit expresse Fratres Praedicatorum & Minorum in altissima paupertate Christo pauperi famulari: & tamen constat ipsos Praedicatorum habere in communi etiam quoad proprietatem aliqua, quod eorum Regulae & statuti non repugnat. Hoc etiam Alexander praedecessor noster praefatus in condemnatione libelli, contra statum Praedicatorum & Minorum editi videtur sensisse, in qua aliquando de dictis fratribus, quae sequuntur subjunxit, cum insuper respondet, quod idem fratres omnia propter Deum dereliquerunt, exilia vitae subsidia mendicantes, Christumque imitentur pauperem, perfectionem Evangelicam amplectendo, propter quod evidenter apparet eos non solum in statu salvandorum existere, sed etiam perfectorum, & per suam Religionis observantiam, sed etiam perfectionis Evangelicae tenet formam, quae quidem ipsius perfectionis praerogativam gloriam promereri: ubi quidem imitatio perfectionem Evangelicam amplectari, & in statu existere perfectorum, quodque ipsorum Religionis observantiam perfectionis Evangelicae tenet formam: & tamen constat ipsos habere posse etiam quoad proprietatem aliqua juxta eorum Regulam in communi. Nec obstat, quod dicunt Innoc. alias Celestinum V. praedecessorem nostrum dixisse, altam paupertatem esse habere paucos propter Deum: alioquin, quae nulla habet propria, tamen habet in communi: altissimam, quae nihil habet in hoc mundo, nec in proprio, nec in communi: dicimus quidem quod hoc dixerit, non ut Papa, fed ut Frater Petrus de Tarantasia in quadam postilla sua, quare dicta praemissorum Summorum Pontificum fuit ei merito praefenda. Dicunt etiam quod Apostolus de tali altissima loquitur paupertate, dicens: Et altissima paupertas eorum abundavit in divitiis simplicitatis eorum: quod evidenter est falsum: quia ibi loquitur de paupertate Macedonum, qui etiam in speciali bona temporalia obtinebant: de quibus Apostolus asserit, quod supra vires suas miserant elemosinas sanctis. Quod autem dicitur in declaratione Nicolai praedecessoris nostri contineri, quod Fratres Minores in rebus, quae eis obveniunt, habent tantum simplicem usum facti: dicimus quod si ipse intellexerit simplicem usum facti denudatum omni jure, ita quod fratres ipsi seu Ordo nullum jus habeant utendi, hoc est expresse contra declarationem Greg. Innoc. Alex. Summorum Pontif. praedictorum, quibus expresse quod talium bonorum Ordo usum habeat, continetur, quod de usu juris est intelligendum necessario, ut superius est probatum. Adhuc dicimus quod est hoc impossibile, scilicet usum facti simplicem absque jure aliquo (quod nihil aliud, quam ipsum uti proprie potest dici) posse in re aliqua etiam usu non consumptibili ab aliquo obtineri, prout id Decret. Ad conditionem Canonum, est probatum: & Aug. in l. 9. de actu. Augustin. de Doctrina Christiana tenet, &c.